

fugerit praedicta et reliquerit, consecuti sumus maximum lucrum. Alioquin si neglexerit, talis ab Ecclesia Christi anathematizandus est. Germinant enim foeminae spinas cum viris habitantes, et arcana mentium acuto mucrone percutiunt. Proh nefas, dolor est dicere, sed praeterire non decet. Christo istae nubere voverunt, non clericis. Unde sine nuptiis genus novum uxorum? Et hoc ad nos quid pertinet, quod infamare non cessamus? A machaera cessemus. Bonus honor est in Ecclesia, si a consortio virorum foeminae sint longe. Monachum vel clericum solitudo facit, non publicum. Quid te virgine delectat alloquium? Cur sanctimoniales contra fidem frequentas in Ecclesia, vel in ipso publico. Si eos quos diligunt, viderint, ridentibus oculis salutationis tenera verba producunt. Deinde cum salutaverint, si eas Dei viros praeterire celerius viderint, contemptores suos judicant et irascuntur. Ordinatur deinde desertae satisfactio: post satisfactionem prandium, quasi nova laetitia disponitur. Inter pocula impropere verba contemptus, ille vero lamentari se simulat, quasi peccati genus inducens. Lege quia talis debet esse solitarius, qualem Hieremias esse descripsit, ait enim: Sedebit solitarius et tacebit, quia levavit se super se. Bonum est viro cum levaverit jugum ab adolescentia sua. Et quia Jesus, relictis Apostolis, solus ibat orare. Mariam quoque in penetralibus Angelus solam invenit, non cum agapeta loquentem, et illa virilem introitum trepidavit. Tu quae fornax es malitiae, quid a viro desideras frequentius salutari? An nescis quia dupliciter famam perdis, tuam simul et clerici, cujus vita Ecclesia Christi debet ornari. Inordinata consuetudo est, et delicati sermonis fabulosa calamitas. Sed si hospitalitatem cupis habere, habes tuas sorores, illae apud te in domum tuam vocari debent, non clerici. Erit ad aedificationem tuam, sancta virgo, quod dixerō. In beatissimi Martini vita legimus, commemorasse Sulpitium, quod transiens sanctus Martinus quandam virginem moribus